



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibus, Qvarvm permultæ antehac nunquam
in lucem prodire

Complectens Sanctos Mensivm || Ivlii Et Avgvsti

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10261

XXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77405)

VITA SANCTI MEDERICI ABBATIS, EX
SPECVLI VINCENTII LIB. XXV. CAP. XCII.

Augusti 29.

S. Mederici
patria & ge-
nus.Abstinen-
tia eius.Creatur
Abbas.Tunica sua
monachum
liberat à li-
bidinis estuAlium mo-
nachum ab
infestat'o-
ne diaboli
pane bene-
dicto eri-
pit.Vult latere
mundum,
sed non po-
test.Felicissimus
obitus eius.

A N N O Domini nongentesimo octogesimoquarto, qui-
uit primus annus Ortonis tertij secundum chronica, le-
uatum est Parisius corpus S. Mederici Abbatis, ipso die
depositionis eius, scilicet quarto Calendas Septembris. Hic
Eduæ ciuitatis pago ortus, nobilis genere, cum reddecim
annos implisset, inuitis parentibus ad monasterium eius-
dem ciuitatis abiit: & ingressus, tantæ abstinentiæ fuit, vt in
hebdomada non nisi bis edulij quicquam caperet, quod
non nisi pane hordeaceo, vel quod vilius reperire pote-
at, & aquæ modico fiebat. Corpus cilicio asperrimo oc-
cultè tegebat, & desuper in vestibus alijs fratribus similis
erat. Tandem mortuo Abbati successit, vbi nõ honorem, sed onus se accepisse confide-
rans, omnibus sibi commissis verus pater apparere studuit. Ipso tempore, quidam mo-
nachus eiusdem loci, cum libidinis astu grauitè vreretur, & hoc patri pio indicasset:
ille tunicam, qua induebatur, ei ad induendum direxit. Qua indutus, ilico demon in-
centor ipsius mali, fugiendo delituit, magnis vocibus proclamans: Sancte Mederice,
cur incendis me precibus tuis? Vasculũ quod diu possederam abstulisti, & me inextin-
guibili incendio mancipasti. Tunc sanctus diuina voce eum increpauit, & ille abces-
sit. Monachus verò ille postmodum in tanta sanctitate permansit, vt plurimæ per eum
virtutes efficerentur. Alius quoq; prædicti patris discipulus, ita erat diabolica illusio-
ne subactus, vt quandocunq; operi diuino insistere deberet, statim vt syntaxeos oratio
consueta finienda erat, ab ecclesia exiret. Qua de causa frequenter admonitus, non
tamen est emendatus. Tunc sanctus Abbas panem accepit, & benedicens, eulogias
fratri tribuit, & ab eo mox inimicum exclusit. Cum de diuersis regionibus, audita eius
fama, ad eum multi properarent, desertum locum expetijt, & sub statu diu desiderato
fese conclusit: ita vt quicquid ciborum sumendum esset, proprijs manibus elaboraret.
Fratres verò de abscessu eius tristes effecti, per vastam eremum longè lateque eum
perquirunt, & tandem inuentum, cum reducere non possent, Episcopum ad eum.
Qui cum eis pergens, sanctum in eremo reperit: & ex communicationis vinculo eum alli-
gans, ad monasterium perduxit, vbi multa post sanctitate floruit, & multas infirmita-
res curauit. Tandem orationis causa, Parisius proficisci voluit: in quo etiam itinere,
multa per eum Dominus miracula fecit. Denique Parisius veniens, in cellula quæ sub
nomine S. Petri Apostoli fuerat consecrata, duobus annis & nouem mensibus Deo
militauit, ac demum vocatis discipulis suis, obitus sui diem indicauit, in quo expletis
omnibus, valedicens eis, inter verba orationis ad Deum migravit quarto Calendas
Septembris.

VITA SANCTI FIACRII CONFESSORIS ET
EREMITAE, VT HABETVR IN EGREGIO MS. CODI-
ce Ecclesiæ Traiectensis. nomen Authoris deerat, quod dolen-
dum in eiusmodi libris raro extare.

Augusti 30.
S. Fiacrij
patria & pa-
rentesMonasteri-
um cõstruit
& hospitale

B E A T V S Fiacrius ex Hybernia nobilibus ortus parenti-
bus, solitariam vitam appetens, Meldis ad sanctum Faro-
nem Episcopum cum quibusdam socijs suis aduenit. Cu-
ius desiderium cum pontifex cognouisset, & ei locum in
nemore, ad se ex proprio patrimonio pertinentem, nomi-
ne Brodolum assignasset, eum ibidem perduxit. Bea-
tus autem Fiacrius, euulso nemore, monasterium in hono-
re beatæ Mariæ Virginis construxit, & exiguum domum
scorsum ædificauit, in qua manens, hospites suscipiebat:
& de die in diem virtuti studens, in Deo proficiebat, corpo-
ri proprio hostis nimis austerus, & quod sibi subtrahebat,
peregrinis & pauperibus erogabat. Fama igitur eius sanctitatis, longè lateque com-
perta:

perta: omnes robore priuati, elingues siue contracti, aut obsessi, aut alia incommoditate detenti, qui ad eum veniebant, vel deferebantur, sola manus impositione sanitati pristinae reddebantur. Cuius beata opinio ubique discurrens, sanctum Cille- num, qui ex Romanae peregrinationis itinere applicuerat, adduxit ad videndum eum. Quem sanctus Fiacrius sibi sanguine coniunctum cognoscens, spirituali cognitione & gaudio suscepit: atque diuino alloquio cum eo vacans, aliquandiu apud se detinuit in Domino.

Claret miraculis.

In vita Faronis 28. Orob. Chillenus vocatur.

Posthaec Fiacrius non habens vnde inopiam aduenientium releuaret, accessit ad Episcopum, petens vt liceret ei tantum nemoris euellere, vt ibidem posset hortum facere ad nutrienda olera pro pauperibus peregrinis. Cui pontifex tantum rogati nemoris, quantum in gyro circa domum suam propria manu fodiendo, in vna die fossato posset circumdare: & quicquid intra fossatum concluderet, liberum absque cauillatione, quasi haereditarium possideret. Quo audito ad solitudinem reuersus, facta oratione, baculum quem manu tenebat, per terram trahebat, & quod est dictu mirabile, ad nutum viri Dei, tractu baculi, terra dehiscens patebat: & nemus hinc & inde funditus corruerat.

Cum summo omniu stupore, baculo terram aperit, ad modu fossae.

Interea mulier quaedam aduenit, quae viso terrae dehiscens miraculo, stupefacta ad Episcopum celeriter festinauit: Eremitam magnificum, esse magum, maleficum, & incantatorem asserens, & non Dei cultorem. Deinde cum celeritate ad eremum reuersa, sancto viro conuicia, contumeliasque & blasphemias irrogauit, & eum autoritate Episcopi ab incepto opere cessare praecipit: ipsum etiam Episcopum aduenire nunciauit. Hac de causa ab incepto opere cessans, sanctus contristatus, super petram resedit. Mirabilibus mirabiliora succedunt: Petra nanque durissima, nutu Dei, vt sessioni sancti esset habilior, sub ipso concavum eidem praestitit locum. Quae petra in hodiernum diem, eodem in monasterio seruatur, & locus sessionis eius demonstratur, cuius tactu debiles saepius restituuntur sanitati. Prouocatus igitur pontifex verbis mulieris, aduenit: & videns vtraque miracula, intellexit Eremitam magni esse meriti apud Deum, & deinceps eum feruentius dilexit, & quandiu vixit, ei familiaris adhaesit. Fossata vero tactu baculi viri Dei facta vsque in hodiernum diem ab incolis demonstratur. Ab illo tempore quo mulier sanctum virum Dei accusauit apud Episcopum vsque in praesens mulieres in eius monasterium non intrauerunt. Ad iram siquidem prouocatus a muliere, orauit quod omnis mulier quae eius monasterium ingrederetur, sui corporis infirmitatem incurreret.

Mulier accusat eum maleficij apud S. Faronem Episcopum.

Miraculum ingens.

Tenerè eum diligit Episcopus.

Precib' ingressum monasterij mulieribus occlusit.

Postmodum igitur, quaedam mulier diues & nobilis volens experiri quid accideret mulieri monasterium praedictum intranti, ad illud ancillam suam manibus proprijs impulit. Quo facto, videntibus omnibus qui aderant, ipsa vnum oculum amisit: ancilla vero illa permanfit. Sed & moderno tempore mulier de Latiniaco in monasterio vnum pedem posuit, qui statim intumuit, tumorque ascendendo, tibiam, genu & crus occupauit. Sunt & alia multa, quae mulieres ab ingressu monasterij praedicti compefcunt. Beatus itaque Fiacrius in eodem loco, signis & virtutibus coruscans, cursum vitae feliciter consummauit. Ad cuius tumulum quasi continuè gloriosa fiunt miracula.

Castigatur diuinitus mulier temeraria.

Item alia.

Obdormit in domino S. Fiacrius.

Inter quae accidit quod quidam vir de Montiaci, qui duos habebat paruulos, diuissimè infirmatos, & tandem vt ad beatum Fiacrium duceret, iumento imposuit, vnum ante, alium retrò, medius verò ipse resedit. Et cum iter aggressus peruenisset ad pontem, qui dicitur Pons rapidus, iumentum suum pedem offendit & in fluuium corruit, cum patre & filijs proclamantibus, Sancte Fiacri succurre nobis. Et cum rei exitus à circumstantibus praestolaretur: subito pater emerfit & filij. Aqua insuper duorum hominum longitudine profunda, se calcabilem patri praebuit, qui filios dextera leuaque arripiens, sine difficultate ad terram reduxit, sanctum asserens sibi affuisse Fiacrium. Quod vt manifestius pateret, sicut de periculo, ita de morbo, quo, vt dictum est, diu prius laborauerant, in ipso articulo liberati sunt.

Pater cum duob' filijs à submersione eripitur.

Filij ab infirmitate curantur.

Quatuor pueri balneantes se, apud Nouiomum in flumen Isara nomine, fortuito submersi, & à piscatoribus à sexta hora vsque ad solis occasum quaesiti nec inuenti: tandem à matre duorum illorum, quos sanctus Fiacrius à submersione, & morbo praedem liberauerat, inuocatus est, & ab ea adiuratus, vt simili facto ostenderet quantum posset apud Deum. Post ipsius mulieris orationem, statim pueri emerunt.

Quatuor pueri submersi reuiuiscunt.

serunt viuentes: dicentes se à quatuor dæmonibus fuisse ligatos, sed per sanctum Fiacrium nunc solutos.

Quidam curatur à narium poly-

Quidam de territorio Ambianensi, polypum quasi ouum super nasum habens, vt anser sibilans, omnibusque monstrum apparens, ad Sancti Dei monasterium confluens, ibique orans, obdormiuit: ac statim surgens sanatum se inuenit.

Castigatur diuinitus sancti viri iratores.

Septem peregrini de S. Dionysio venientes, cum non longè essent à monasterio S. Fiacrij, dixerunt quatuor ex illis: Eamus ad sanctum Fiacrium. Reliqui verò tres dixerunt: Nos viscosi non sumus, non habemus necesse ire ad eum, ipse non habet peregrinos nisi viscosos. Quatuor tamen ad Sanctum incedentibus, tres prædicti eos irridentes sæpiùs clamabant: Ite viscosi ad medicum viscosorum. Nec mora: cæci facti sunt, & apertis oculis nihil videbant. Pœnitentes igitur clamabant post quatuor socios, qui ad Sanctum Dei properabant. At illi putantes eos vt priùs irridere, ipsis non intenderunt. Tandem visitato sancto Fiacrio reuersi, prædictos sex socios suos inuenerunt cæcos, errare per agros. Cognoscentes verò culpam, eos ad sanctum Fiacrium duxerunt, & cum ipsis Sancti misericordiam implorantes, obtinuerunt eis visum restitui. Tanta autem quotidie, meritis beati confessoris perpetrantur in diuersis partibus miracula, quod de singulis non est nostræ possibilitatis scribere.

Rursus consequuntur misericordia & à cæcitate liberantur.

MARTYRIVM SANCTORVM FELICIS ET ADAVCTI, VT HABETVR IN MS. CO-

dicibus, quibus suffragantur omnia Martyrologia & Ado.

Augusti 30.



S. Felix efflatur tres comminuit deorum statuas.

Similiter & arborem radicibus deiecit, & templum subuertit.

Iuberur cum quodam socio capitale subire sententiam.

VM feruor Diocletiani & Maximiani sanctos Dei diuersis pœnis interficeret: duos fratres Felices nomine & opere, presbyteros sanctæ Ecclesiæ catholicæ, impietati suæ oblatos, ad Dracum vrbis præfectum dirigi iusserunt, dicentes; Si sacrificare contempnerent, punirentur. Inter eam vnus ex ipsis Felix, qui erat senior frater, cum ex iussione præfecti ductus fuisset ad templum Serapis iuxta secretarium vbi erat præfectus: dum cogeretur ad sacrificium, exufflauit in faciem statuæ aræ, & statim cecidit. Item ductus est in aliam ædiculam vbi Mercurij statua erat constituta, vt ibi thura incenderet: similiq; modo exufflauit in statuam, & corruit. Item in tertiam quoq; ædiculam ductus est ad simulacrum Dianæ, & exufflās in eam, statim corruit. Tunc reductus ad præfectum, imponitur eculo, & inquiritur quibus maleficijs hoc fecisset. Qui respondens ait; Ego hoc non maleficijs diaboli, sed beneficijs Dei mei omnipotentis egi. Tunc furore repletus præfectus, iussit eum duci iuxta murum vrbis via Ostiensis ad locum qui secundo miliario ab vrbe erat. Et quia in eodem loco arbor excelsa stabat, ibi sacrificare eum compelli fecit. Quod si minimè adimpleret, Draco præfecto renunciaretur. At vbi S. Felix adductus est in memoratum locum, vt nefandissimis sacrificijs inquinaretur, insufflauit in arborem, & ait; Præcipio tibi in nomine Domini mei Iesu Christi, vt à radicibus tuis corruas, & templum cum ara & simulacro eius ita comminuas, vt amplius per te animæ nullatenus decipiantur. Et statim ad verbum serui Dei à radicibus euerfa est, & templum atque aram cum simulacro eius ita comminuit, vt nihil ex ipsis penitus appareret. Quod cum nunciatum fuisset ab officio, Draco vrbis præfecto, iussit eum eadem via duci, & in eodem loco decollari, corpusque eius inhumatum lupis & canibus derelinqui. Qui cum duceretur, obuium habuit quandam virum Christianum, hominibus quidem absconditum, Deo verò manifestum. Hic cum didicisset quod beatus Felix presbyter pro Christi nomine iussus esset capitale subire sententiam, cepit clamare & dicere voce magna; Et ego ex eadem lege sum, & ipsum quem hic sanctus prædicat presbyter, confiteor Dominum Iesum Christum, & pari sententiæ subiacebo. Elegi enim cum eo potius ad tempus mori, & in æternū triumphare cum Domino Iesu Christo, quam cum nefandissimis principibus vestris

vestris ad tempus viuere, & in æternū cum ipsis, pœnis perpetuis cruciari. Interea ducti ad locum in quo prædicta arbor steterat, cum eis spatium orandi datum fuisset, exurgentes ab oratione osculati sunt se inuicem, & pariter capitalem subiērunt sententiam. Corpora autem eorum inhumata relicta sunt, sed Christiani noctū venientes, ibidem vbi arbor steterat, quia nimiam terræ altitudinem aperuerat euersio eius, se pelierunt eos. Altera verò die volentes pagani ex nimia rabie corpora eorum effodere, quicunque tentauerunt manus admouere, à diabolo arrepti sunt. Vbi postea pacis tempore, basilica fabricata est: in qua beneficia diuina exuberant vsque in hodiernum diem. Passi sunt sancti martyres Felix presbyter & Adauctus, 3. Calend. Septemb. regnante Domino nostro Iesu Christo sine fine, Amen.

Arripitur à diabolo, volentes sanctorū prophanare reliquias.

SANCTI PATRIS NOSTRI GERMANI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI ENCOMIUM,
in adorationem venerandæ zonæ sanctissimæ Deiparæ, & in depositionem
sanctarum fasciarum Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, nec
non in Encænâ templi, in quo illa deposita fuerant. Habetur in Simeone Metaphraste. Capitula margini adiecimus.



GLORIOSA dicta sunt de te, ciuitas Dei: nobis diuinus Dauid cecinit in spiritu: reuera ciuitatem, de qua gloriosa dicta sunt, apertissime vocans ciuitatem magni Regis. Quanam ea est? Existimo eum manifestissime & sine vlla contradictione dicere eam, quæ verè est electa, & omnibus superior, non domorū excellentia, & altitudine excitorum ædificiorum, sed diuinarum & sublimium virtutum magnitudine & puritate omnibus antecellētem, Mariam nulli penitus culpæ affinem, & castissimam Deiparam. In qua, qui verè est Rex regum & Dominus dominantium, habitauit, vel potius, in qua plenitudo rotius diuinitatis habitauit corporaliter.

Augusti 31. Plal. 86. Cap. 1.

Maria, præclarissima ciuitas & domus Dei.

Hæc verè gloriosa ciuitas, hæc Sion, quæ percipitur intelligentia. Hanc, ut arbitror, Dauid prædixit diuinus. Quòd si quis eius quoquè domum, gloriosam urbem vocauerit, non alienum à vero & honesto dixerit. Si enim ij, quorum nomina in terris celebrata sunt, diuturno tempore nominis memoriam conseruant: aliorum autem, quorum ne nomina quidem fas esset labijs proferre, columnæ, & templa, & simulacra vsque in hodiernum diem, etsi nomine tantum, sunt tamen extensa, & ipsi tanquam adhuc supersites, resonant in auribus simpliciorum: quid dixerit quispiam de gloriosissima & laudatissima Virgine, quæ est omni ex parte intemerata, & nulli culpæ obnoxia? Nam si ea appellata est ciuitas animata Regis Christi, meritò illius quoquè templum sanctissimum, cuius dedicationem hodiè celebramus, est, & nominatur ciuitas gloriosa. Ciuitas non terrestris, & mortali Regi in ciuium numerum ascribens eos, qui parent eius ditioni: sed cælesti, qui transmittit ad vitam æternam, & præbet regnum suum ijs, qui ipsum sequuntur.

Cap. 2.

Dedicatio templi.

Encæniorum autem nomen, id est, dedicationis, o reuerendi auditores, nè recenter factis ædificijs, & modò coagmentatis constructionibus existimetis solum contineri: sed eam etiam, quæ in spiritu fit, renouationem significare, per quã homo noster internus, cum vetus & lacerum peccati exuerit indumentum, nouum pietatis induens, viuit in vitæ nouitate. Illis enim delectatur Virgo, ab omni penitus macula aliena, qui virtutibus & secundum Deum vitæ pio instituto renouantur. Sic castæ castis castè fruamur Encænij: & tanquam ad ipsam præsentem, & omnia vidētem accessuri: ita ad venerandum eius templum accedētes, omnia componamus, & omnia mutemus in id, quod est melius, actionem & contemplationem. Nihil sit nostro die indignum, non ingressus pedis, non risus dentium, ut dicitur, non vestis ornatus tendat ad inæcorum. Quid dico? Ipsas quoquè componamus cogitationes, & inaccessas esse Deo dignas ostendamus.

Cap. 3.

Encænâ ut celebranda.